

assitit, et confortant me, et liberatus sum de ore leonis. Ita Paulus, Nerone non notans ob immanem ejus seviti- am. Confer etiam qua sunt ad Philipp. 1. Sic ignitur Romæ positus Paulus, licet in vinculis, licet in hos-

piis conducti spatii circumscriptus, licet adhuc mi- litari custodiâ tentus, Christi Evangelium magnâ ani- mi fiduciâ nuntiavit, ad absentes etiam epistolas dat. Sic Baronius.

IN ACTUS APOSTOLORUM DILUCIDATÆ QUESTIONES.

AUCTORE WOUTERS (1).

Præfatio.

Liber qui continet Acta seu gesta apostolorum, non immeritò ab Œcumenio vocatur *Evangelium Spiritû sancti*: siquidem præcipua acta, quæ Spiritus sanctus per apostolos gessit, graphicè hic depinguntur. Unde S. Chrys., utilitatem hujus libri commendans, hom. 1 in Act. apost., ita scribit: *Hinc non minor nobis contingere poterit utilitas quam ex ipsis Evangeliiis...* Et enim promissa quæ Christus in Evangeliiis ante verbis pollicitus erat, ea hic re præstita et exhibitâ videre licet, ipsamque veritatem ipsis factis relucens intueri. Simul- que videre est discipulos mirificè ad meliora transmutatos, nimirum sancto Spiritu vin suam in illis exerente.

Auctorem secundarium hujus libri esse S. Lucam evangelistam, indubitatum est, et ex ejusdem libri principio facile cognoscitur, ubi auctor, se eundem esse declarat, qui prius historiam evangelicam ad Theophilum scripserat. In primo libro, qui est Evangelium, scripsit doctrinam et gesta Christi sicut ab aliis audiverat narrari; in secundo verò scripsit gesta apostolorum, quæ ipsemet partim viderat, seu quorum partim fuerat testis oculatus.

Partes hujus libri præcipuæ sunt quatuor. Harum prima, octo primis capitibus, Ecclesia novi Testamenti

(1) Vide Wouters vitam hoc ipso volumine, col. 769-770, ante Dilucidationem questionum evangelicarum.

CAPUT PRIMUM.

Commemorat S. Lucas Christi Domini à morte redi- vi, post varias per 40 dies apparitiones apostolis factas, ascensionem in cælum illis videntibus; ac deinde ipsorum reditum in Jerusalem, expectantium adventum Spiritûs sancti, quo tempore medio S. Mathias electus est in apostolum.

QUESTIO PRIMA.

De gloriosâ Christi ascensione in cælum.

Resp. et dico 1^o: Die post resurrectionem suam quadragesimâ, feriâ quintâ, quæ anno ære vulgaris 29 incidit in 5 maii, Jesus Christus apparuit undecim

originem et progressum inter Judæos et Samaritanos, ordine narrat. Secunda, à cap. 9 ad 16, describit quantoperè Ecclesia inter gentes dilatata fuerit. Tertia, à cap. 16 ad 20, diversas Pauli peregrinationes usque ad iter Jerosolymitanum recenset. Quarta denique ad finem, quantâ tolerantia innumeras molestias et erumnas sustinuerit Paulus.

Multa etiam alibi non scripta, et plurima quæ in Evangelio Christus discipulis suis prædixerat, ipso facto evenisse in hoc libro narratur, adeoque Evan- gelii fides vehementer confirmatur. In eo quoque sanctissimos primitivæ Ecclesiæ mores, et præcipuè charitatem sine invidia et amulatione videmus ac pro- inde exemplar, ad quod corruptos seculi mores reformare valeamus. Hinc S. Hieron., lib. de Viris illustribus, de eodem libro dicit: *Acta apostolorum nudam quidem videntur sonare historiam, et nascentis Ecclesiæ infantiam texere; sed si noverimus scriptorem eorum esse Lucam medicum, cujus laus in Evangelio fuit, advertemus pariter omnia verba illius, languentis animæ esse medicinam.*

Tempus quo liber finitur, ostendit quòd fuerit composuit Romæ, et in publicum prodierit anno secundo finiente, quo Paulus in primis vinculis mansit Romæ, in domo quam conduxerat; scilicet anno 65 ære vul- garis: adeoque hic liber continet historiam circiter 54 annorum.

apostolis reconbentibus, eisque exprobravit incredulitatem ac duritiam cordis eorum, et deinde dixit eis: *Euntes in mundum universum predicare Evangelium omni creaturæ, etc.*, Marci 16, v. 14 et seqq. Insuper ipsis præcepit ne ante acceptum Spiritum sanctum ab Jerosolymis discederent, prout liquet hic, v. 4 et 5.

Dico 2^o: Christus ascendit in cælum in Bethaniâ, in monte Oliveti, in quo vestigia pedum terre im- pressa reliquit.

Probat, quia postquam Christus apostolis præcepisset ab Jerosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, nempe Spiritum sanctum, dedu-

xit eos in Bethaniam ad montem Oliveti, prout liquet ex Evangelio S. Luce, cap. 24, v. 50, ubi dicitur: *Eduxit autem eos foras in Bethaniam...*, et ferebatur in cælum. Item hic, v. 12, narratur quòd discipuli, visâ Christi ascensione, reversi sint Jerosolymam, à monte qui vocatur Oliveti. Ergo manifestum est quòd Christus in monte Oliveti ascendit in cælum.

Quantum ad impressa Domini vestigia nihil quidem habetur in Scripturâ, sed quòd ea terre impressa reli- querit, docent varii antiqui Patres, quos refert Baro- nius ad annum Christi 54, num. 252. Et id etiam vi- detur diù ante fuisse predictum à Zachariâ propheta, cap. 14, v. 4: *Stabunt pedes ejus in die illâ super montem Olivarum, qui est contra Jerusalem ad orientem.* Unde ven. Boda, lib. de Situ urbis Jerusalem, sive de Locis sanctis, cap. 7, dicit: *In cujus (nempe montis Oliveti) vertice, ubi Dominus ad cælos ascendit, ecclesia rotunda grandis, ternas per circuitum cameratas habet porticus desuper tectas; interior namque domus propter Domini corporis meatum camerari, et tegi non potuit, altare ad orientem habens angusto calamine pro- tectum; in cujus medio ultima Domini vestigia colo desuper patente, ubi ascendit, visuntur. Quæ, cum quoti- diè à credentibus terra tollatur, nihilominus manent, eandemque adhuc speciem suâ velut impressis signata vestigiis servant.* Et apud S. Hieron., de Locis Heb., in Act. apost., ita habetur: *Mons Oliveti ad orientem Jerosolymæ, torrente Cedron interfuerente, ubi ultima vestigia Domini humo impressa hodièque monstrantur; cumque terra eadem quotidie à credentibus hauriatur, nihilominus tamen eadem sancta vestigia pristinum statum continuè recipiunt. Denique cum ecclesia, in cujus medio sunt, rotundo schemate et pulcherrimo opere con- deretur, summum tantum cacumen, ut perhibent, pro- pter domini corporis meatum, nullo modo contegi et camerari potuit; sed transitus ejus à terrâ ad cælum usque patet apertum.* Et quamvis hoc opus non sit S. Hieron., sed alterius auctoris, eò quod in eodem, dum agitur de Smyrnâ Lyciæ civitate, citetur ipse- met Hieronymus, est tamen compositum ab antiquo, et satis fide digno scriptore.

Dico 3^o: Christum ascendentem in cælum fuisse comitatus patriarcharum, prophetarum, et omnium electorum animas, prius in limbo ab origine mundi detentas, communis est opinio, quam fulcire videtur Apostolus, ad Ephes. 4, v. 8, de Christo dicens: *Ascendens in altum, captivam duxit captivitatem.* Imò alii putant quòd istis animabus etiam jungende sint animæ putæ, quæ in purgatorio detinebantur captive; ut absolute et generaliter dicatur Salvator omnium duxisse secum captivam justorum captivitatem.

Dico 4^o: Christo per dotem subtilitatis cælos pene- trant, tanquam Domino regique suo occurrit tota cælestis aula, seu omnes omnino angeli, qui triumphantes cecinerunt: *Attollite portas principes vestras, et elevamini, portæ aternales, et introibit rex gloria,* psal. 25. Unde et rursus psal. 46, dicitur: *Ascendit Deus in jubilatione, et Dominus in voce tubæ.* Ad quæ verba S. P. Aug. ait: *Ibi erat et vox tubæ, vox illa angelorum.*

QUESTIO II.

An Dominus in die ascensionis cum apostolis manduca- verit.

Resp. affirmativè. Prob., quia hic, dum ultima sua præcepta apostolis dedit, v. 4, dicitur: *Ei convescens, præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent.* Ergo mani- festum est quòd illud præceptum ipsis dederit, dum cum illis manducabat.

Obj. 1^o cum auctore Analyseos: Dicitur Græca *convescens* non significat convescens, sed conveniens, vel congregans, sicut etiam Erasmus vertit: ergo ex citato textu probari nequit quòd Christus in die ascen- sionis cum apostolis manducaverit.

Resp. Neg. ant. Nam quòd *convescens* rectè ver- tatur convescens, inde patet, quòd ista vox derivatur à *conv*, cum, et *esc*, sal, unde *convescere*, salè conspergo. Hinc *convescere*, simul salè conspergo eundem cibum, seu simul saltem comedo, q. d.: *Convescens eodem salè*; hoc est, communi salè, communique mensâ utor. Sic etenim vocem illam intellexerunt, et interpretati sunt Patres in Græcâ lingua doctissimi, et interpretati sunt Levit. 8, Chrysost., Œcumenius, Theophylactus, et Hieron., epist. 150, cap. 7.

Obj. 2^o: Vox illa Græca plus significat quàm simp- lificiter manducare, nam ut ex mox dicitur patet, signi- ficat habere saltem et mensam communem cum aliquo; atqui probari nullo modo potest quòd Dominus post resurrectionem suam mensam habuerit cum discipulis suis adhuc communem; nam hoc illo tenuisset in errore, tanquam adhuc indigeret cibo ad sustentan- dam novam vitam suam; ergo præfata vox non signi- ficat convescens.

Deinde illud communiter cum ipsis manducare nul- lam habet convenientiam cum præceptis quæ illis dabit; quæ enim est hæc connexio: *Et communiter cum ipsis manducans, præcepit eis ab Jerosolymis ne discederent?* Ita rursus auctor Analyseos.

Resp. Neg. min. et consequ. Nam, ut supra dictum est, ita interpretatur Chrysost., Theophylactus et Œcumenius Græci. Unde in illum auctorem regero propria ejus verba, quæ habet in suâ Dissert. in illa verba Joan. 8, v. 25: *Principium, qui et loquitur vobis, scilicet quòd illi tres interpretes Græci melius nove- rint vim ac energiam lingue suæ maternæ, quàm Fra- nsius Latinus, quem auctor ille hic sequitur.* Dicit ergo Chrysost., in cap. 1 Act. de Christo, post re- surrectionem quòd multis signis ostenderit se verè resurrexisse, et tunc subdit: *Ac ne iis quidem contentus fuit, sed mensam etiam addidit; nimirum hoc est, quòd deniceps dicit: Et convescens simul cum illis.*

Quòd autem Dominus post resurrectionem suam aliquoties cum discipulis manducaverit et biberit, clarè patet ex Luce 24, et Joan. 21. Unde infra, cap. 10, v. 41, dicit Petrus: *Manducavimus et bibimus cum illo, postquam resurrexit à mortuis.* Manducavit autem Dominus, non ut discipuli putarent ipsum adhuc indigere cibo, sed ut firmius crederent eum verè resurrexisse, prout innuitur Luce 24, v. 41 et 42.

Docere autem, vel ut præcepta dare inter manducan-

dum, fuit Domino satis familiare; unde in ultimâ cenâ doctrinam et præcepta dedit illa quæ recenset Joan. à c. 13, v. 1, usque ad c. 18, v. 1.

QUESTIO III.

Quantum sit iter sabbati.

Vers. 12: *Tunc reversi sunt Jerosolymam, à monte qui vocatur Oliveti, sabbati habens iter.* Constat quidem ex hoc loco montem Oliveti distitisse à Jerosolymis tantum itinere sabbati. Hinc tamen colligi nequit quantum longum fuerit illud iter, sed id aliunde colligi debet.

S. Lucas, in suo Evangelio, cap. 24, v. 50, dicit Dominum ascendisse in cœlum ex Bethania, et hic insinuat ipsum ascendisse ex monte Oliveti; adeoque Bethania fuit sita prope montem Oliveti, prout et idem evangelista dicit cap. 19, v. 29.

S. Joannes, cap. 11, v. 18, ait: *Erat autem Bethania juxta Jerosolymam quasi stadiis quindecim.* Et Plinius, lib. 2, cap. 52, dicit quod octo stadia faciunt unum milliari Italianum, id est, mille passus geometricos, quorum unusquisque continet quinque pedes, seu duos passus minores.

Ex his colligitur quod Bethania castellum distiterit à Jerosolymis ferè duobus milliariis Italicis, adeoque circiter mediâ horâ itineris; et per consequens mediâ horâ itineris videtur fuisse iter sabbati. Itaque Judæi licuit in sabbato facere iter mediæ circiter horæ, seu his mille passuum geometricorum.

Obj. 1^o: Exodi 16, v. 29, dicitur: *Nullus egressus erit de loco isto die septimo.* Ergo die sabbati nullum iter poterant facere.

Resp. Neg. conseq., quia locus objectus non debet strictè accipi, quasi nullus potuisset se movere à loco, in quo die sabbati erat; nam hoc fuisset humanitatis impossibile, et contrarium constat tum ex hoc cap., tum ex cap. 12 Matth., ubi Dominus ivit per sata sabbato cum discipulis; et tamen Judæi ipsos non culpârunt quod violarent sabbatum eundo, sed vellendo spicas. Item licebat ipsis diebus sabbati ire ad templum, et ad synagogas. Itaque ad locum Exodi dicendum est ibidem non prohiberi ne quis die sabbati exiret de loco suo simpliciter; sed ne quis exiret ad colligendum isto die manna, vel ad quodcumque opus servile faciendum, ut patet ex contextu.

Obj. 2^o: S. Hieron., epist. 131 ad Algasiam, q. 10, dicit iter sabbati fuisse tantum his mille pedum, id est, unius ferè milliarii Italic.

Resp. S. Hieron. illud non asserere, sed tantum referre quid desuper dicerent Judæi sui temporis. Verba ejus sunt: *Quia jussum est ut diebus sabbatorum sedeat unusquisque in domo suâ, et non egredietur, neque ambulat de loco in quo habitat; si quando eos juxta litteram coperimus arctare, ut non jaceant, non ambulent, non stent, sed tantum sedeat, si velint præcepta servare: solent respondere et dicere: Rabbi Akiba, et Simeon magistri nostri tradiderunt nobis ut bis mille pedes ambulemus in sabbato: et cætera hujusmodi, doctrinam hominum præferentes doctrinæ Dei.* Ex quibus verbis patet

quod D. Hieron. illa non approbet, sed potius inprobet.

Obj. 3^o: Josephus, lib. 20 Antiq., cap. 6, dicit montem Oliveti distitisse à Jerusaleem tantum quinque stadiis.

Resp. Josephum vel computare stadia longiora, vel tantum assignare distantiam usque ad radicem montis, vel errorem in ejus textum irrepisse, vel denique ejus auctoritatem debere cedere S. Scripture.

QUESTIO IV.

Quales fuerint mulieres, quæ cum apostolis perseveraverunt in oratione.

Vers. 14: *Hi omnes erant perseverantes unanimes in oratione cum mulieribus, et Mariâ matre Jesu.* Erasmus dicit posse verit., et Beza archi-Calvinista absolute verit.: *Cum uxoribus*, addens ex proprio cerebro, inquit auctor Analyseos, pronomen suis, quod tamen in textu semper exprimitur, quando dictio Græca *γυναῖκες*, id est, *mulier*, accipitur pro uxore. Et sanè etiam in lingua Latina et nostrâ *mulier* non accipitur pro uxore, nisi addito pronomine possessivo. Pessimè ergo Beza *mulieribus*, id est *cum mulieribus*, verit. cum uxoribus, ac si haberetur: *Cum suis mulieribus.*

Non sunt igitur nisi præjudicia Bezae, inquit auctor Analyseos, contra colitatum ecclesiasticorum, quæ ipsi talem versionem poterunt persuadere: si enim matram adhibuisset reflexionem, vidisset quod illa femine, quas Lucas hic sine ulla distinctione particulâ commemorat, sint eadem quæ in suo Evangelio dicit Christum secutas fuisse à Gallilæa, inter quas nominat Mariam Magdalenam, et Joannam uxorem Chusæ procuratoris Herodis, et Susannam, et plures alias, Lucæ 8, v. 2, quibus Marcus addit, cap. 15, v. 40, Mariam Jacobi minoris matrem, et Mariam Salome, matrem filiorum Zebedæi. Certè non probabit Beza illas fuisse uxores apostolorum, nisi velit fortè Susannam, et illas plures mulieres alias apostolis dare in uxores.

Sed ut de hac re solidè judicetur, considerari tantum debent due conditiones quas istis mulieribus Lucas, eodem capite 8, ascribit. Prima habetur v. 2: *Mulieres aliquæ, quæ erant curate à spiritibus malignis et infirmitatibus.* Secunda habetur v. 5: *Quæ ministrabant ei de facultatibus suis; adeoque fuerunt divites; atqui ridiculum est dicere quod omnes uxores apostolorum (si fuerint matrimonio juncti) fuerint vel à demonibus possessæ, vel infirmitatibus afflicte; ergo, et. Denique nec credibile est quod apostoli fuerint pauperes piscatores, et ipsorum uxores divites dominæ.*

QUESTIO V.

Quomodo Judas possederit agrum de mercede iniquitatis.

Dicit S. Petrus, v. 18, de Judâ: *Ei hic quidem possedit agrum de mercede iniquitatis.* Quibus verbis videtur innuere quod Judas ipsemet illum agrum emerit, quod non videtur bene coherere cum Evangelio; siquidem Mattheus, cap. 27, inter condemnationem Christi et desperationem Jude nullum ponit intervallum temporis, quo Judas agrum emere potuisset,

sed dicit quod reulerit triginta argenteos, et abiens laqueo se suspendit. Quondam ergo agrum illum emisisset?

Putant aliqui quod Judas duobus diebus ante mortem suam, acceptis triginta argenteis, agrum illum licitatus fuerit, etc., quod certò fieri potuit, etiamsi tunc triginta argenteos nondum haberet, quia eadem modò cum Judæis convenerat de tradendo illis Christo; et sic mirabili Dei consilio factum est ut postea sacerdotes eundem agrum eadem pecuniâ emerint, quem Judas emere inceperat. Sed hæc opinio non satis fundata videtur. Unde

Resp. quod Judas hic dicatur possedisse, seu, ut ex Græco veritè potest, acquisivisse aut sibi comparasse agrum, quia ejus pecuniâ emptus est. Verum quidem est quod non ipso, sed sacerdotibus agrum illum emerint; sed quia ex communi usu loquendi censetur aliquis facere illud quod alii faciunt per media et auxilia quæ ipsi dedit, sic Judas acquisivit agrum quem principes sacerdotum emerunt, quia illum emerunt ejus pecuniâ; et si supervixisset, fuisset ipsius ager. Unde Judæi debebant Judæ gratias, quod jam haberent agrum in sepulturam peregrinorum. Ita auctor Analyseos.

QUESTIO VI.

Quomodo Judas vitam finierit.

Mattheus, cap. 27, v. 5, de Judâ dicit: *Abiens, laqueo se suspendit;* et S. Petrus dicit hic: *Suspensus crepuit medius.* Igitur juxta S. Mattheum videtur suspensio perisse; et juxta S. Petrum videtur præcipitio perisse; nam suspensio naturaliter non crepant, ita ut viscera eorum effundantur. Hinc aliqui volunt Judam præcipitio mortuum esse, et nostrum interpretem malè vertisse in Mattheo: *Laqueo se suspendit,* et in Actis: *Suspensus.*

Theophylactus, in cap. 27 Matth., dicit: *Judas laqueum posuit in collum, et cum penderet ab arbore, eâ inclinatâ supervexit, Deo volente ipsum vel in penitentiam conservare, vel in traditionem et confusionem. Dicit enim quod morbo hydroipico laborârit, ita quod transire non poterit orbital, et deinde pronam cecidisse, sive præcipitum, et crepuisse medium, id est, esse dirupium, ut in Actis dicitur.*

Euthymius, in cap. 27 Matth., ait: *Cum ergo ad Deum clementissimum confugere oporteret, ille ad mortem potius fugit, ut à desperatâ tristitque vitâ citius liberaretur. Et neque id omnino assecutus est, præcaupiebatur: agnitus enim à quibusdam depositus est ne præfocaretur; deinde postquam in secreto quodam loco, modico vixisset tempore, præceptus factus, sive præcipitum, inflatus, diruptus ac diffusus est medius; et effusa sunt omnia viscera ejus, sicut ait liber Actorum.*

(Cœcumenius verò in Collectaneis Actuum apostolorum dicit: *Judas suspensio à vitâ non discessit, sed supervixit: dejectus est enim priusquam præfocaretur; idque apostolorum Acta indicant, quod pronus crepuit medius; hoc autem plamius scripti Papias Joannis apostoli discipulus dicens: Ad magnum impietatis exemplum in hoc mundo permansit Judas, in tantum enim corpore*

inflatus, ut progredi non posset, cum currus levi cursu pertransiret, curru compressus est, ita ut effunderentur ejus intestina. Attamen resp. et dico: *Judas seipsum suspendit, et sic suspensus mole corporis, seu potius divinâ vindictâ, crepuit medius, ut guttur, per quod vox præditionis exierat, laqueo nodus necaret,* inquit Boda in cap. 1 Act. apost., *et anima sacrilega non per os, quo perfidè Christum osculatus fuerat, sed per viscera instar feræ lanitate egredederetur.* Ita à Lapide hic, et alii communiter.

Prob. 1^o quia Mattheus, cap. 27 v. 5, dicit: *Tunc vitens Judas, qui cum tradidit, quod damnatus esset... abiens laqueo se suspendit.* Addit verò Petrus Ite: *Suspensus crepuit medius, et diffusa sunt omnia viscera ejus.* Atqui *et tunc* clarè denotat illa isto tempore fuisse facta; ergo, etc. Vide dicta supra in Concord. evang., cap. 27, q. 1.

Prob. 2^o ex SS. Patribus. S. Ignatius Martyr, epist. ad Philippenses, de diabolo dicit: *Laqueum illi commonstravit, et suspensum quo strangularetur edocuit.* S. Athanasius, quest. 74, inquit: *Quod peccatum non potest penitentiam admittere? Et resolvit: Desperatio quâ Judas occupatus, se suffocavit.* S. Hieron., epist. 45, ad Paulinum, dicit: *« Judas, qui quondam audierat: Tu autem homo, qui simul necum dulces capiebis cibos, dux meus, et notus meus, in dono Dei ambulatorem cum consensu, proditor amici et magistri: Salvatoris arguitur voce, nodum informis levi trabe necit ab altâ. »* Scdulus, lib. 4 Operis Paschalis, de Judâ dicit:

Infelcem animam laqueo suspendit ab alto.

Arator, hist. apost., cap. 1:

Qui gutture pendens,

Visceribus vacuatus obi.

Et Origenes in hæc verba Joan. 15, v. 22: *Aspiciebant se multo discipuli dubitantes, de quoniam diceret, ait: Abiens laqueo se suspendit, non videre quidem expectans judicij finem de Jesu apud Pontium Pilatum.* Hinc Sixtus Senensis, lib. 6 Bibliothecæ sacre, annot. 222, dicit quod sit communis consensus omnium Petrum scriptentium Judam juxta Evangelicam sententiam laqueo præfocacione interiisse. Et annot. 120, ait: *Origenes, Chrysostomus, Augustinus, Boda et omnes Latini Judam laqueo præfocatum scribunt.*

Solvuntur argumenta.

Obj. 1^o: Noster interpret textum Matthei malè veritè: nam in Græco non habetur: *Suspendit se, sed: Suffocavit se.* Atqui potest aliquis se suffocare per nimiam tristitiam et desperationem, obturando guttur suum, vel obstruendo fauces suas; ergo, etc.

Resp. Præterquam quod Mattheus non scripsit Græcè, sed Hebraicè, et consequenter ex textu Græco sciri non possit an debebat esse *suffocavit*, an *suspendit se*; respondeo, inquam, neg. maj. et conseq. Nam cum suffocatio seu strangulatio gutturis non solet fieri nisi laqueo per suspensum, idè rectè noster interpret veritè: *Laqueo se suspendit.* Unde non solum Patres supra, præb. 2, citati, sed etiam illi Græci ante citati, scilicet Theophylactus, Euthymius et Cœc-

menius unanimiter legunt: *Se suspendit*. Et certè non potest homo facillè seipsum suffocare, nisi vel suspendio vel aquis; nam si vellet manibus fauces premere, cuius vires manuum quam fauces deficerent; ac proinde dici nequit quòd Judas per desperationem se suffocaverit, obturando guttur, vel obstruendo fauces suas.

Obj. 2^o: S. Petrus hic dicit: *Præceptus factus crepuit medius*: nam Græcè habetur: *ἡ ἀρχὴ τῆς ἀποστολῆς*, id est, *præceptus factus*. Unde versio Syriaca habet: *Cecidit in faciem suam lumi, et crepuit per medium aut*. Ergo Judas non suspendio, sed præcepto interit.

Resp. Neg. consecj. Nam juxta Petrum Liotrensem aliosque auctores vox Græca *ἀρχὴ* potius significat *pronus* quam *præceptus*. Unde à nostro interprete *pronus factus* benè veritè *sensus*, ab accidentaliter situ corporis, quem habet suspensum dum moriuntur, quia tunc fiunt proni, eò quòd habeant vultum versum terram declinatam. Igitur sensus verborum S. Petri videtur esse hic: *Cum è suspendio jamjam moriturus caput haberet prouum*, vel etiam, *præceptis in pectus, crepuit medius*. Eodem modo Erasmus, quamvis summè criticus, locum illum è Græco vertit: *Suspensaque crepuit medius*.

Dicit auctor Analyseos quòd alii simpliciter utrumque historicum, scilicet Mathæum et Lucam conciliant, dicendo quòd Mathæus narret initium moris Judæ, et Lucas finem. Nam primò Judas rejectis argenteis, abiens laqueo se suspendit; à Deo summum ejus scelus vindicante, ne unà tantum morte moretetur, laqueo rupto, decidit ventre supra acutum petram, aut truncum arboris, ita ut venter ejus fuerit à petrâ vel trunco dilaceratus. Et ita dilacerari, ab illo auctore vocatur *crepare*. Sed hæc opinio meris nititur conjecturis: siquidem ex nullo S. Scripturæ textu, ex nullo S. Patre, aut antiquo scriptore probari potest quòd laqueus, quo Judas se suspendit, ruptus fuerit. Item ex nullo capite proliari potest quòd Judas invenerit arborem crescentem supra acutum petram, ut in hæc, vel truncum arboris cadens ventrem suum impingeret.

Obj. 3^o: S. P. Aug., lib. 1 de Actis cum Felice Manichæo, cap. 4, de Judâ dicit: *Collum sibi alligavit, et dejectus in faciem ruptus est medius*; ergo non perit suspendio.

Resp. non esse ibi verba Augustini, sed codicis Actuum apostolorum, quem tunc in Africâ habebant. Cum enim deberet in publicâ disputatione, præsentibus commissariis imperatoris, contra Felicem probare quòd apostoli accessissent Spiritum sanctum, accepit codicem, et recitavit ex Actis apostolorum: *Primum quidem sermonem feci*, etc. Illa ergo verba non sunt ab Augustino dicta, sed tantum lecta ex libro. Porro utrum ille liber fuerit benè translatus ad litteram ex Græco, potest esse dubium: nam certè in textu Græco non habentur illa duo, scilicet: *Collum sibi alligavit*, deinde: *Et dejectus in faciem*, sed tantum alterutrum; et in multis aliis liber ille accidentaliter diversus est à nostrâ Vulgatâ, ut ibidem videri potest.

Item dubium est an ille codex reverè sic habuerit:

nam illi libri duo de Actis cum Felice, scripti sunt à notariis, jussu imperatoris ibi presentibus, ut utriusque, scilicet Augustini et Felicis verba scriberent. Unde de isto opere dicit Augustinus, lib. 2 Retract., cap. 8: *Gesta sunt ecclesiastica, sed inter mess libros computantur*.

Denique præcitata verba eundem habent sensum, quem nos ante dedimus, scilicet: *Cum è suspendio jamjam esset moriturus, et faciem haberet dejectam ad terram, crepuit medius*.

Undenam ager, emptus triginta argenteis Judæ, dicitur sit ager sanguinis.

Resp. et dico 1^o: Probabile est quòd illud nomen accepit ex eo, quòd in illo agro Judas se suspendit, et ibi creperit: nam casus tam horribilis facillè percellit ad eò populum, ut ab illo casu nomen loco præbeat.

Idem insinuat hic S. Petrus, v. 18 et 19, dicens: *Suspensus crepuit medius; et diffusa sunt omnia viscera ejus. Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, ita ut appellaretur ager ille lingua eorum, Haceldama, hoc est, ager sanguinis*. Quid enim est notum factum omnibus, nisi illud quòd immediatè præcessit, scilicet quòd Judas suspensus creperit? Ergo inde accepit ager ille nomen suum.

Dico 2^o: Probabilius tamen apparet quòd ager ille dicitur sit ager sanguinis ex eo quòd emptus sit triginta argenteis Judæ, qui erant pretium sanguinis Christi.

Prob. 1^o ex Matth., cap. 27, v. 6, dicente: *Principes autem sacerdotum, acceptis argenteis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia pretium sanguinis est. Consilio autem inito, emerant ex illis agrum figuli, in sepulturam peregrinorum. Propter hoc (id est, quia emptus erat triginta argenteis Judæ, qui erant pretium sanguinis Christi) vocatus est ager ille Haceldama, hoc est, ager sanguinis, usque in hodiernum diem*.

Prob. 2^o quia non est certum quòd Judas se suspendit in isto agro, in loco aperto, etc., ac ibidem sepultus sit. Quinimò etiam hoc factum fuisset, tunc ager ille potius dicitur fuisset *ager viscerum*, quam *ager sanguinis*.

Ad argumentum autem quòd desumitur ex verbis S. Petri, dico ipsum non velle dicere quòd notum factum sit omnibus Jerosolymitanis quòd Judas suspensus creperit medius, sed quòd Judas possederit agrum de mercede iniquitatis; id est, quòd ager ille emptus sit illâ pecuniâ, quam Judas acceperat pro sanguine, id est, pro vitâ Christi.

Dices: Ager ille nondum poterat esse emptus, dum Petrus illa dixit: nam ista dixit 45 aut 44 diebus post resurrectionem Domini, scilicet intra Ascensionem et Pentecosten.

Resp. Neg. assumpt. Illud enim non est impossibile, præsertim cum illam pecuniam noluerint mittere in corbonam, adeoque noluerint illam diù servare.

Aliqui, ut jam propositum argumentum solvant, dicunt quòd illa verba: *Et notum factum est omnibus habitantibus Jerusalem, non sint verba S. Petri, sed S. Lucae, qui hæc per parenthesis verbis S. Petri in-*

terposuit diù postea, dum scripsit Acta Apostolorum.

Hæc responsum probant primò ex eo quòd dicit: *Ita ut ager ille appellaretur*. Si autem essent verba S. Petri, deberet dici: *Ita ut appelletur*, quia factum erat adhuc recens, et quodammodo presens.

Secundò, quia dicit: *Ita ut appellaretur lingua eorum*, scilicet Jerosolymitanorum; atqui hoc non potuit cum exteris apostolis ac discipulis, tunc Jerosolymis existentibus, dicere Petrus, sed debuisset dicere: *Lingua nostrâ*. Item nec debuisset dicere, *Haceldama, id est, ager sanguinis*, quia omnes præsentès requè intelligebant *Haceldama* ac ipse Petrus; ergo, etc.

Interim tamen verosimilitas est quòd sint verba S. Petri: Nam sequuntur omnia eodem contextu.

Nec obstant mox supra dicta: Quia dum dicit: *Appellaretur*, non agit de usu istius nominis, sed de primâ impositione, quasi diceret: *Ita ut tunc Jerosolymitani agrum illum appellarent Haceldama*, quod nomen adhuc retinet. In hunc sensum verba S. Petri accipienda esse docet Chrysost., hom. 5.

Et benè dicitur: *Lingua eorum*, scilicet Jerosolymitanorum, quia Petrus et alii apostoli erant Galilæi: lingua autem Jerosolymitanorum differebat aliquo modo à lingua Galilæorum, ut constat ex Matth. 26, v. 73, ubi dicitur Petro: *Verè tu ex illis es; nam et loquela tua manifestum te facit*. Et sanè etiam in hæc nostrâ patriâ unam eandemque rem alio nomine vocant in unâ civitate, alio in aliâ.

Ista autem verba: *Hoc est, ager sanguinis* sunt S. Lucae, vel nostri interpretis, prout in aliis similibus Scripturæ textibus id sæpè invenitur.

QUÆSTIO VIII.

An peccaverint apostoli eligendo Mathiam per sortes.

Resp. negativè. Quod ut melius intelligatur, hæc quæstionem tractabimus sicut illam habet auctor Analyseos, dissert. 5 in Act. apost.

Itaque imprimis non debet hic propriè ostendi quòd sortem mittere, in se sit licitum; sed quòd id licerit apostolis in aliquâ occasione particulari, et ob motiva quæ pietas culpæ non potest. Certum est quòd per canones generaliter prohibitum sit mittere sortem in electionibus ecclesiasticis: nam cum in illis debeat eligi dignior, vel dignissimus, et sors ex naturâ suâ non possit unius dignitatem præ dignitate alterius cum certitudine detegere, mittere tunc sortem, esset petere miraculum sine necessitate, quod est propriè tentare Deum. Apostoli tamen usi sunt sorte ad statuendum successorem Judæ in apostolatu: interpretes autem existimantes sortem mittere, in omni casu esse illicitum, plurimum se rexaverunt ad excusandum apostolos.

Aliqui mutaverunt significationem sortis, dicentes quòd per sortem debeant intelligi suffragia secreta, quorum plura data fuerunt Mathiæ, quam Josepho Barsabæ. Sed ad hoc reformanda forent omnia dictiones; nam omnia distinguunt inter sortem et suffragium.

S. S. XXXIII.

Alii, freti auctoritate S. Dionysii, dicunt quòd sors, de quâ hic agitur, fuerit aliquod signum divinitus datum, v. g., radius luminis è celo descendens super Mathiam, vel columna volutans super caput ejus. Sed hæc interpretatio eodem vitio laborat quò prima.

Unde alii utrumque jungunt, dicentes quòd sors fuerit missa, et quòd tunc vel radius, vel aliud insolitum signum Mathiam affecerit, et sic sortem confirmaverit. Sed videtur alterutrum fuisse superfluum. Vel enim Deus distinguit Mathiam per radium, et tunc sors erat superflua; vel per sortem, et tunc radius erat superfluus: Deus autem non facit miracula superflua; ergo ista opinio admitti nequit. Præterea quòd hoc ita factum fuerit, est mera conjectura sine ullo prorsus fundamento excogitata.

Ven. Beda, in cap. 1 Act. apost., dicit quòd apostoli licitè adhibuerint sortem ex speciali privilegio: Unde hoc ab aliis non est trahendum in exemplum. *Non hoc exemplo indifferenter sortibus est utendum, inquit, quia privilegia singulorum communem legem facere non possunt*.

S. Thomas, 2-2, q. 95, art. 8, O, sequens auctoritatem Bedæ, dicit ideò non peccasse apostolos, quia hoc fecerunt ante Pentecosten, antequam Spiritus sanctus esset datus, et lex nova instituta. Verba S. Thomæ sunt: *Potest tamen in hoc quadrupliciter peccatum incidere... Quorid, si in electionibus ecclesiasticis, quæ Spiritus sancti inspiratione fieri debent, aliqui sortibus utantur. Unde sicut Beda dicit super Actus apostolorum, Mathias ante Pentecosten ordinatus sorte quaeritur, quia scilicet nondum erat plentidò Spiritus sancti in Ecclesiâ effusa. Septem autem diaconum postea non sorte, sed electione discipulorum sunt ordinati*.

Salvo respectu debito duos illis magnis viris, inquit præfatus auctor, liceat ex S. Augustino elucidare quiddam est obscuro in electione S. Mathiæ, et ostendere quòd apostoli in hoc negotio se sapientissimè et prudentissimè gesserint.

Supponit igitur Augustinus, tanquam principium indubitatum, quòd missio sortis, quam fecerunt ad inquirendam divinam voluntatem quoad electionem novi apostoli, nihil mali aut illiciti in se continuerit. Ita enim loquitur, serm. 2 in Psal. 50: *Sors non aliquid mali est, sed res est in dubitatione humanâ divinam indicans voluntatem: nam et sortem miserunt apostoli, quando Judas, tradito Domino, perit, et sicut de illo scriptum est, abiit in locum suum; et cepit quaeri quis in loco ejus ordinaretur*. Adhibuerunt autem, juxta Augustinum, apostoli duo judicia, scilicet humanum et divinum, cum hæc tamen differentia, ut judicium humanum fuerit plene subjectum judicio divino. Etenim elegerunt duos ex judicio humano; id est, ex speciali notitiâ quam habebant, meritorum et virtutum utriusque. Illos igitur duos, quos secundum suum judicium habebant parâ virtutis et meriti, subjecerunt judicio Dei, ut ipse alterutrum dignatus fuisset designare. *Electi sunt duo judicio humano, (Quarante-quatre.)*

electus est ex duobus unus iudicio divino, inquit Aug., ibidem.

Aut enim intelligatur, quale intelligat iudicium divinum, subiungit: *De duobus consultus est Dominus, quemnam ipsorum esse vellet, et cecidit sors super Mathiam.* Videtur illis verbis insinuare Augustinus aliter debere esse electionem apostoli, aliter electionem aliorum ministrorum Ecclesie, et quod non sine causa aliter processerint apostoli in electione Mathie, aliter in electione septem discipulorum.

Apostolus, proprie loquendo, non debet vocari aut eligi ab hominibus, quia tunc haberetur ipsorum missionarius, cum tamen debeat esse missionarius Dei; ex quo sequitur quod solus Deus possit ipsum eligere. Hanc electionem divinam falsi predicatorum negabant competere apostolo Paulo, dicebantque ipsum esse tantum electum ab hominibus; atque illa calumniā auctoritatem et doctrinam eius conabantur enervare. Unde et Apostolus illam refutat in initio sue Epistolae ad Galatas, quam sic incipit: *Paulus apostolus non ab hominibus, neque per hominem, sed per Jesum Christum, et Deum Patrem, qui suscitavit eum à mortuis.* Item, 1 Cor. 9, probat se esse apostolum ex eo quod Dominus illi apparuisse; sic enim dicit v. 1: *Non sum liber? Non sum apostolus? Nonne Christum Jesum Dominum nostrum vidi? Illa igitur visio Christi Domini comprehendit totum, scilicet missionem et auctoritatem.* Verum quidem est quod 8 vel 9 annis post (Act. 15) nominatus et segregatus fuerit cum Barnabae per Spiritum sanctum ad praedicandum Evangelium; at non fuit ibi institutio apostolatus eius, sed potius confirmatio et ordinatio ad episcopatum.

Debat ergo apostolatus Mathiae habere characterem, seu institutionem divinam, sicut apostolatus aliorum; sed hoc non erat facilis executionis post ascensionem. Quomodo enim apostoli hoc ipsi procurassent? Certo non audebant desiderare ut Christus ipsemet coram toto cœtu comparisset ad unum designandum in loco Judee; nec etiam audebant petere miraculum, quale factum est, Numer. 17, dum virga Aaron floruit, ut designaret ipsum à Deo electum solum, cum suis posteris, in sacerdotem.

Poterat quidem Spiritus sanctus designare Mathiam per inspirationem, vel mediis illis quibusdam discipulis prophetis, sicut infra, cap. 13, fecit respectu Pauli et Barnabae; sed cum tunc Spiritus sanctus nondum descendisset, inspirationes sensibiles nondum erant in usu. Videat ergo hic modum, et ordinem plenum sapientiae et discretionem, quo apostoli uti sunt. Duo habebant vitanda, scilicet primò electionem seu vocationem humanam, quae non convenit Apostolo Christi; secundò tentationem Dei. Haec sunt duo extrema vitiosa, et ad eò sibi opposita ut vix possit quis evitare unum, nisi latetur in aliud.

Tentassent Deum apostoli, si sortem indifferenter super turban discipulorum misissent: poterant enim plures esse indigni, super quorum unum sors cadere poterat: nam quavis sortes dependeant à Deo, iuxta quod dicitur, Prov. 16, v. 33: *Sortes mittuntur in si-*

num, sed à Domino temperantur; attamen sors est aequè signum ac iudicium divinae permissionis, ac absolute eius voluntatis: est enim signum eius permissionis respectu electionis indignorum; est signum eius voluntatis respectu electionis dignorum.

Porrò fieri poterat ut Deus justo et aequo iudicio permisisset, ut sors cecidisset vel super aliquem indignum, vel saltem ut non cecidisset super digniorem.

Ex alià parte, si apostoli, ad evitandum tentationem Dei, non consulissent nisi proprium suum lumen, propriam cognitionem, ad sibi eligendum collegam, incidissent in aliud extremum, quod est vocatio et electio humana; et qui istà vià fuisset electus, haberi potuisset apostolus hominum, adeoque minoris auctoritatis quam ceteri, qui erant apostoli Christi.

Sed hos duos defectus evitavit apostoli temperando sortem electionem, et electionem per sortem. Itaque ne tentassent Deum, uti sunt omni scientià et cognitione quam habebant de meritis et dignitate discipulorum, ut invenirent duos omnium dignissimos. Deinde ad evitandum defectum vocationis humanae, non fuerunt ausi dijudicare utrum dorum deberet alteri preferri; sed hoc iudicium et hanc discretionem dimiserunt Deo, cui etiam reliquerunt curam explicandi suam voluntatem per sortem, tanquam per vocem sensibilem, quae determinat illum ex duobus propositis, quem vellet habere apostolum.

In hoc ergo agenda modo nec erat tentatio Dei, nec voluntas humana. Non erat, inquam, tentatio Dei; quia cum illos qui ordinari poterant, rediensent ad duos tantum; et cum illi duo meritis et dignitate eminent inter omnes discipulos, super quem sors cecidisset; semper cecidisset super unum dignissimum. Igitur negotium illud non exponebatur arbitrio fortunae, quae sapè favet minus dignis, et etiam positivè indignis; sed haec sors restricta ad duos dignissimos, nullo modo poterat cadere nisi super unum dignissimum. Ex alià parte non erat etiam vocatio, nec mera missio humana, quia Deus ipse eligebat per sortem, et electio unius praeter alio debebat soli Deo tribui. Et hoc declarant apostoli in sua oratione, quam missioni sortis premiserunt; nam v. 24, *orantes dixerunt: Tu, Domine, qui corda nosti omnium, ostende quem elegeris ex his duobus unum, accipere locum ministerii huius, et apostolatus, de quo praevocatus est Judas ut abiret in locum suum.*

His ergo ex Augustino intellectis et deductis, non erit difficile satisfacere ven. Bedae et S. Thomae. Quantum ad primum, quòd exemplo apostolorum non sit indifferenter sortibus utendum, totum ipsi libenter conceditur. Sed procedit ulterius: conatur actionem apostolorum excusare, tanquam excusatione indigeret, sed inutili labore: nam ex unà parte prendit quòd haec forma electionis per sortem fuerit privilegium apostolis specialiter concessum; ex alià vero parte, quòd sors in veteri lege fuerit figura per quam inquirebatur et designabatur summus pontifex:

et quòd licitum fuerit illà uti. Donec veritas completeretur, inquit, figuram lœvit exerceri. Porrò iuxta ipsum veritas non fuit completa, nisi in die Pentecostes, quando ignis Spiritus sancti hostiam eius consumpsit; atque sic ante hanc diem erat plene jure licitum mittere sortes, sine ullo usu sortium privilegiorum. Quomodo ergo componere potest duas istas suppositiones? Si enim apostolis fuerit licitum ante Pentecosten mittere sortem, ad quid indigebant privilegiis? Nullus enim indiget privilegio ad ponendam actionem licitam. Ubi nam autem inveniretur quòd juxta legem Moisaicam summus pontifex deberet eligi per sortem, ignoratur; et reverà contrarium est certum, et manifestum in Scripturâ.

Non est difficile respondere D. Thomae, et ostendere quòd in electione Mathiae nulla ex quatuor speciebus sortis peccaminosis intervenerit. Prima species juxta S. Thomam est quando sors adhibetur sine necessitate. Sed haec necessitas hic est palpabilis. Si enim elegerint unum per suffragia, fecissent illum apostolum hominum; vel, ut Augustinus dicit, *iudicio humano*: hoc autem auctoritatem ejus minisset. Igitur illa necessitas quae cogebatur statueret apostolum, non hominum, sed Dei, cogebat illos eligere medium mittendi sortem, quae dependebat à Deo solo, ita ut posset dici juxta Augustinum *electus iudicio divino.*

Secunda species sortis peccaminosa est, quando quidem adest necessitas, sed non oratur Deus ut dignetur sortem dirigere, et ex eà ostendere voluntatem suam. Hanc culpam, ut constat ex ante dictis, non admisit apostoli. Unde D. Thomas proponit ipsos in exemplum ad imitandum.

Tertia species est *si divina oracula ad terrena negotia convertantur*; id est, ut ibidem ex Augustino explicat, si in dubio quis aperiat sacra Biblia, et juxta textum in quem primò conjicit suos oculos, dubium suum resolvat, et deinde operetur.

Quarta species est, *si in electionibus ecclesiasticis, quae ex Spiritu sancti inspiratione fieri debent, aliqui sortibus utantur.* Deinde refert D. Thomas electionem S. Mathiae, tanquam exemplum hujus speciei peccaminosae, quae tamen electio ideò mala non fuit, quia facta est ante Pentecosten.

Sunt tamen hic duo quae non videntur subsistere, scilicet primum, quòd electio S. Mathiae non fuerit illicita, quia facta fuit ante Pentecosten: nam etiam si facta fuisset post Pentecosten, fuisset equidem licita. Secundum, quòd apostoli hic non egerint ex inspiratione Spiritus sancti; contrarium enim videtur certum.

Prob. 1^o: Ideò non licuit post Pentecosten, in electionibus ecclesiasticis, uti sortibus, quia sors potest cadere super indignum et invidiosum; atqui ubi sunt duo aequalis meriti, duo dignissimi; sors non potest cadere super indignum; ergo in simili casu id adhiberetur. Quinimò hoc admittit S. Thomas adducens auctoritatem S. Augustini, lib. 1 de Doct. Christ., c. 28, dicentis: *Si cui abundaret aliquid, quod oportet dari eis qui non habent, nec daubus dari potuisset, si tibi occurrant duo, quorum neuter altum vel indigentia, vel urgente aliqua necessitate superaret, nihil justus faceret, quin ut sorte eligeret cui dandum esset quod utrique dari non posset.*

Eadem ratione plures intérpretes probant electionem S. Mathiae fuisse licitam; unde à Lapide dicit: *Respondeo ex Glossâ, id eos rectè fecisse, eò quòd eligendi in deoibus externis essent pares, tunc enim sorte res decidit et dirimi potest. Idem susinet Tertianus dicens: Poterant exemplo majorum tali sorte rem decidere, maxime inter istos duos qui deibus essent pares, et omni exceptione dignissimi.*

Prob. 2^o: Dicit S. Thomas: *Si verò necessitas imminet, licitum est cum dubiò reverentia sortibus divinum iudicium implorare.* Unde Aug., dicit, epist. 180 ad Honoratum: *Si inter Dei ministros sit disceptatio, qui eorum tempore persecutions muneant, ne fuga fiat omnium; et qui eorum fugiam, ne morte omnium deserant Ecclesiam, si haec disceptatio alter non potuerit terminari, quantum mihi videtur, qui muneant et qui fugiant, sorte eligendi sunt.* Atqui in electione S. Mathiae erat similis necessitas, quia debebat eligi apostolus Dei; ergo ista electio adhuc fuisse licita post Pentecosten. Ita ferè auctor Analyseos.

CAPUT II.

Accipiunt apostoli Spiritum sanctum, quorepleti statim variis linguis loquuntur ad diversarum nationum Judaeos et proselytos, quorum complures convertuntur ad fidem, et ipsorum admirabilis in fide ac charitate fervor describitur.

QUESTIO PRIMA.

Quot generibus linguarum, et quomodo illis apostoli locuti fuerint.

Primò intérpretes hic inquirere solent an S. Lucas, v. 1, agat de Pentecoste Judaeorum, an verò de Pentecoste Christianorum; sed quoadmodum de hac questione satis fuse egerimus supra, in Concord. evang. cap. 24, quaest. 3, in resp. ad obj. 5, ideò eà hic omittam, ad questionem propositam.

Resp. et dico 1^o: Apostoli locuti fuerunt omni genere linguarum quae tunc in toto mundo cognitio in usu erant, vel saltem omnium nationum quibus praedicaturi erant.

Probatur, quia mittebantur ad omnes mundi gentes, nationes, tribus et linguis praedicatum Evangelium, ergo debebant omnium nationum linguis scire.

Certè nullum potest esse dubium, quin locuti fuerint lingua omnium illarum nationum orientalium, quas S. Lucas hic tam exactè denumerat, scilicet Parthorum, Medorum, et Ælamarum, et qui habitabant Mesopotamiam, Judaeam et Cappadociam, Pontum et Asiam, Phrygiam et Pamphyliam, Ægyptum et partes Lybiae, et advenarum Romanorum, Judaeorum quoque et proselytorum, Cretum et Arabum. Omnes igitur illae linguae, quarum tamen multae non differunt inter se nisi quoad dialectum, fuerunt apo-

stolis infusæ; adeoque idem judicari potest de omnibus aliis, quamvis hic non describantur: nam S. Lucas tantum facit mentionem illarum quæ erant aliequæ provincie, in quâ tunc habitabant Judei, qui ad festum Pentecostes Jerosolymam convenerant.

Dubitari etiam non potest quin S. Thomas, qui erat predicaturus Evangelium Indis, notitiam ipsorum lingue infusam à Spiritu sancto acceperit, quamvis S. Lucas illius non meminerit. Idem dici debet de lingua Hispanica, respectu S. Pauli, qui, ut habetur Rom. 15, v. 28, staturat proficisci in Hispaniam.

Dico 2^o: Donum linguarum fuit apostolis concessum in perpetuum.

Probat, quia non semel, aut uno tantum die, sed totâ vitâ suâ debuerunt exteris nationibus Evangelium prædicare. Hinc auctor Analyseos dicit se non concipere, quomodo quidam protestans nomine *Saumaise* desuper potuerit dubitare.

Dicit autem hæreticus ille: *Quamdiu sederunt super ipsos linguæ... linguæ omnium feruntur locuti: ablatis linguis cessavit miraculum, et desiderant loqui linguas.* Supponit igitur ille quod magna illa turba Judæorum, quæ accurrerat, viderit igneas istas linguas super apostolos, toto tempore quo ipsos audiebant loquentes diversis linguis. Hoc autem non videtur probabile: nam spectaculum hoc Judæos majori stupore affecisset, quàm diversitas linguarum; unde et S. Lucas id non omisit.

Obj. 1^o: Ablatâ causâ auferretur effectus; atqui lingue igneæ erant causa notitiæ diversarum linguarum; ergo illis ablatis etiâ hæc notitia auferbatur.

Resp. Præterquam quod major generaliter sit falsa, neg. min. Nam Spiritus sanctus erat illius causa; ipse enim donum linguarum illis infuderat. Unde lingue istæ igneæ non erant causa, sed signum doni linguarum; preterea autem signo non ideò perit significatum.

Obj. 2^o: S. Petrus non retinuit donum linguarum; ergo nec alii.

Prob. ant., quia si donum illud retinisset, non indigisset interprete; atqui juxta SS. Patres Petrus habuit interpretem, scilicet S. Marcum. Unde dicit Hieronymus: *Marcus discipulus et interpres Petri*; ergo, etc.

Resp. Neg. ant. Nam infra, cap. 10, antequam Petrus haberet Marcum discipulum, ad fidem convertit Cornelium centurionem cohortis Italica, cum amicis ejus et cognatis, qui tamen non noverant nisi linguam Latinam et Græcam; adeoque Petrus debebat istas linguas scire. Deinde ipsi jam conversi, locuti sunt variis linguis; quis autem credet quod Petrus ipsos non intellexerit? Petrus coram discipulis testatus est quod locuti fuerint diversis linguis: quomodo hoc testari potuit, si illos non intellexerit? Verum quidem est quod Petrus tunc aliquos discipulos secum duxerit, non tamen ut essent interpretes, sed ut essent testes istius conversionis gentiliam.

Marcus verò vocatur interpres S. Petri, non quia

sermones Petri è lingua Hebraicâ verbebat in aliam linguam, sed quia, *juxta quod Petrus referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breve scripsit Evangelium.* Quis enim credet quod Romanis, v. g., Petrus concionaretur Hebraicè, et Marcus illam concionem ipsis verteret Latinè.

Adde quod, teste Paulo, 1 Cor. 12, v. 24, Corinthi diu post Pentecosten acceperunt donum linguarum, qui tamen non destinabantur ad prædicandum Evangelium extraneis. Erine ergo verosimile quod princeps apostolorum illo dono carerit.

Inst.: Petro mandatus erat apostolatus Judæorum, qui omnes tunc temporis linguam Hebraicam et Syriacam intelligebant.

Resp. Neg. assumpt. Nam epistolæ, quas scripsit ad Ecclesias Ponti, Galatiæ, Cappadocia, Asiae et Bithyniæ, et itinera quæ fecit Romam, ubi sedem fixit, satis ostendunt quod ejus apostolatus non fuerit limitatus ad solos Judæos. Interim etiam hoc gratis concederetur, tamen falsum est quod tunc omnes prorsus Judæi intelligerent linguam Hebraicam: nam illi omnes qui in Pentecoste accurrerant, erant Judæi, et tamen *audiebat unusquisque linguâ suâ illos (apostolos) loquentes*, etc.

Obj. 3^o: Dum apostoli citant Scripturam sacram, nunquam citant textum Græcum septuaginta Interpretum, sed semper textum Hebraicum; ergo signum est quod linguam Græcam non sciverint.

Resp. Neg. ant. Nam sæpius citant Versionem Septuaginta, ut Act. 2, v. 25; cap. 7, v. 43; cap. 13, v. 34; cap. 28, v. 27; ad Rom. 9, v. 27; ad Heb. 11, v. 21; cap. 12, v. 5, 6 et 26; cap. 13, v. 15; item 1 Petri 2, v. 6 et 8.

QUESTIO II.

Quomodo apostoli locuti fuerint diversis linguas.

Resp. et dico 1^o: Apostoli non tantum loquebantur Hebraicè, et à populis diversæ lingue intelligebantur, ut voluit aliqui, sed loquebantur, diversis linguis, scilicet Græcâ cum Græcis, Latinâ cum Latinis, etc. Ita Nazianzenus, orat. in sacram Pentecosten; Ambros., in Psal. 18, etc.

Prob. 1^o ex textu: *Cœperunt loqui variis linguis.* Atqui non fuissent locuti variis linguis, seu ut in Græco habetur, *alienis linguis*, si solummodo Hebraicè locuti fuissent; ergo, etc.

Prob. 2^o ex alio textu: *Audiebat unusquisque linguâ suâ illos loquentes.* Ergo Græci audiebant ipsos loquentes linguâ Græcâ, Hebræi Hebraicâ, etc.

Prob. 3^o quia non suffecisset apostolis per totum mundum prædicaturis, si ab omnibus gentibus intellecti fuissent, ipsi verò nullas gentes intellexissent.

Prob. 4^o quia aliàs Spiritus sanctus deberet potius dici illapsus in gentes, quàm in apostolos: nam non fuisset aliqua operatio Spiritus sancti, aut aliquid miraculum in apostolis, quod linguâ suâ maternâ loquerentur; sed fuisset operatio et miraculum in gentibus, quod ipse apostolos intelligerent.

Prob. 5^o quia contraria sententia nimis multiplicat miracula, siquidem deluisset istud miraculum toties

feri in auditoribus, quoties apostoli ipsis loquebantur; atverò si dicamus apostolos accepisse notitiam omnium linguarum, tantum admittere debemus unum miraculum, scilicet infusionem istius notitiæ: nam loqui linguam miraculosè notam non est miraculum.

Prob. 6^o quia Apostolus 1 Cor. 14, v. 18, de seipso dicit: *Gratias ago Deo meo, quod omnium vestrum linguam loquor.*

Dico: Epist. 2 ad Cor. cap. 11, v. 6, dicit Apostolus se esse imperitum sermone, scilicet Græco; ergo non acceperat donum linguarum.

Resp. Disting. consequens: Ergo non acceperat donum linguarum illarum quas ante sciebat; concedo: aliarum quas ignorabat; nego consequ. Apostolus enim linguam Græcam didicerat, adeoque ejus dono non indigebat.

Deinde donum istud linguarum non efficiebat ut apostoli omninò eleganter et purè ac propriè loquerentur (alioquin visi fuissent elegantia et splendore sermonis, inquit Estius, attraxisse homines ad Christum), sed ut loquerentur intelligibilibus, quantum opus erat, juxta communem modum, quemadmodum bene docet D. Thomas, 2-2, q. 176, a. 1, ad 1.

Dico 2^o: Videtur tamen apostoli in die Pentecostes, dum unâ linguâ loquebantur, intellecti fuisse ab omnibus audientibus, ita ut fuerit duplex miraculum: unum in apostolis, quod loquerentur diversis linguis, aliud in audientibus, quod quæcumque linguâ loquerentur apostoli, illos tamen intelligerent loquentes illâ linguâ quæ ipsis audientibus erat materna. Ita Estius et auctor Analyseos.

Hæc sententia admittenda est, saltem quoad concionem illam quam habuit S. Petrus ad omnes illos diversæ lingue Judæos, quia aliàs sequeretur quod istam concionem eodem die Pentecostes toties repetivisset, quot illic erant diversæ lingue homines. Dico: *Saltem quoad concionem illam*, etc., quia de aliis apostolis id non est ita verosimile. Contra hoc ultimum

Dico cum auctore Analyseos: Si ceteri apostoli locuti fuissent non eadem, sed diversâ linguâ, non fuisset hoc reputatum tanquam miraculum, quo omnis illa diversa natio Judæorum, ut Lucas dicit v. 6, *mente confusa est, quoniam audiebat unusquisque linguâ suâ illos loquentes. Stupebant autem omnes et mirabantur*, etc.

Prob. assumpt., quia non reputatur miraculum quod, v. g., decem diversi homines loquantur decem diversis linguis; quia quilibet ipsorum potest esse diversæ nationis, vel unam linguam diversam à suâ didicisse.

Resp. Neg. assumpt., quia istis Judæis notum erat quod omnes apostoli essent ejusdem lingue: nam dicit v. 7: *Nonne ecce omnes isti qui loquantur, Galilæi sunt?* Deinde quis sani cerebri credet quod decem homines unius ejusdem contubernii et societatis, didicerint præcisè decem diversas singulâ linguas? Unde quamvis istius auctoris commentum sit physicè possibile, non est tamen possibile moraliter. Præterea

apostoli in die Pentecostes semper unâ eademque linguâ locuti fuerunt *magnalia Dei*, sed continuo nunc unâ, nunc aliâ brevem Dei laudem dixerunt.

QUESTIO III.

An super solos apostolos descenderit Spiritus sanctus, et an lingue dispersitæ fuerint versus ignis.

Resp. et dico 1^o: Non super solos apostolos, sed etiam super alios fideles intrusos sextis descendit Spiritus sanctus.

Prob. 1^o, quia hoc lib., cap. 1, v. 14, dicit S. Lucas: *Omnes erant perseverantes unanimiter in oratione cum mulieribus, et Mariâ matre Jesu, et fratribus ejus... erat autem turba hominum simul, ferè centum viginti.* Et postea, nullâ factâ mentione quod unus illorum abivisset, pergit cap. 2, v. 1: *Et cum compleretur dies Pentecostes, erant omnes pariter (Græcè unanimiter) in eodem loco*, etc. Ergo dum dicit: *Erant omnes*, intelligit illos omnes de quibus paulo ante fecerat mentionem, scilicet centum viginti.

Prob. 2^o ex S. P. Aug., tract. 2 in Epist. Joan. dicente: *Ubi inchoat Ecclesia, nisi ubi venit de celo Spiritus sanctus, et impletur uno loco sedentes centum viginti? Duodenarius ille numerus decuplatus erat; sedebant centum viginti homines, et venit Spiritus sanctus. Idem docent Chrysost., Oecumenius, Cyrillus et alii.*

Confirmatur ex verbis S. Petri, v. 17, dicentis: *Effundam de Spiritu meo super omnem carnem; et prophetabunt filii vestri et filia vestra. Item v. 18: Et quidem super servos meos, et super ancillas meas in diebus illis effundam de Spiritu meo, et prophetabunt.* Obj. 1^o: Illic, v. 7, dicitur: *Nonne ecce omnes isti qui loquantur Galilæi sunt?* Atqui non est credibile quod omnes illi centum viginti fuerint Galilæi; ergo soli apostoli, qui omnes Galilæi erant, loquebantur diversis linguis.

Resp. Neg. min., quia omnes aut ferè omnes discipuli Christi fuerunt Galilæi: nam Matth. 26, v. 73; Marci 14, v. 70, et Lucae 22, v. 59, probant servi pontificis Petrum esse discipulum Christi, qui est Galilæus. Unde etiam Christus post resurrectionem suam non se obtulit videndum in Judæâ, nisi mulieribus et apostolis, ac paucis discipulis; sed in Galilæâ apparuit plus quàm quingentis fratribus simul congregatis. Dicuntur igitur omnes Galilæi, quia omnes aut ferè omnes erant Galilæi; vel etiam, quia apostoli, qui erant omnes Galilæi, ibi primas partes agebant, et fortè soli loquebantur.

Obj. 2^o: Maria mater Christi non debebat prædicare Evangelium, et ante erat gratiâ plena; adeoque non indigebat dono linguarum, nec ulteriori omburatione Spiritus sancti; ergo saltem super illam non descendit Spiritus sanctus.

Resp. Neg. consequ. Nam non omnes qui in primitivâ Ecclesiâ acceperunt donum linguarum destinati fuerunt ad prædicandum Evangelium; ut colligitur infra, ex cap. v. 10, 46, ubi Cornelius et amici ejus dicuntur accepisse donum linguarum; et tamen hi non erant destinati ad prædicandum Evangelium. Potue-

runt ergo accipere donum linguarum, si non ad prædicandum, saltem ad confitendum fidem, ubi opus esset; vel etiam illud donum ipsis concessum fuit ad ostendendum virtutem Dei, etc.

Maria autem mater Christi non erat infinitè gratià plena; unde poterat semper majorem et majorem accipere. Sic et apostoli, qui, Joan. 20, Spiritum sanctum acceperunt à Christo ad effectum remissionis peccatorum, illum abundantius acceperunt in die Pentecostes ad intelligendum fidei mysteria, fidem liberius prædicandum et fortius defendendum, etc. Sic igitur etiam D. Virgo, quæ acceperat Spiritum sanctum ad concipiendum Christum sine viri auxilio, potuit illum postea accipere ad melius intelligendum fidei mysteria, ad firmius credendum, etc.

Dico 2^o: In Concord. evang., cap. 7, quest. 6, circa finem, gratis quidem concessimus quod lingue disperse non fuerit verus ignis; quia, quoad questionem quam libidem tractabamus, indifferens erat an fuisset verus ignis, an ignis tantum apprensus. Sed cum jam hic hanc questionem tractemus ex professo, resolvendum est quemam interpretum opinio videatur probabilior. Itaque

Dico 3^o: Licet varii receptores interpretes existent linguas istas fuisse tantum ignem apparentem, id est, aliquid rubicundum et lucens instar ignis; tamen verosimilius apparet quod fuerit verus ignis.

Prob. 1^a, quia, ut citato loco Concord. evang. dictum est, sustinet D. Thomas, item S. Aug., lib. de Agone christiano, cap. 22, quod columba, sub qua apparuit Spiritus sanctus in baptismo Christi, fuerit vera columba; et lib. 2 de Trinit., cap. 6, eodem modo loquitur de igne sub quo apparuit in Pentecoste. Verba ejus sunt: *Non ergo sic assumpta est creatura in qua apparuit Spiritus sanctus, sicut assumpta est caro illa et humana illa forma ex Virgine Mariæ. Neque enim columbam beatificavit Spiritus sanctus, vel illum ignem.* Et paulo post: *Proinde quæquam illa columba spiritus dicta sit, et de illo igne cum diceretur: et Visus sunt illis lingue disperse veluti ignis... ut ostenderet per illum ignem spiritum demonstratum, sicut per columbam, non tamen ita possumus dicere Spiritum sanctum Deum et columbam, aut Deum et ignem, sicut dicimus Filium et Deum, et hominem.* Præterit igitur Augustinus Spiritum sanctum non accepisse illam columbam, aut illum ignem in unitatem personæ, sicut Verbum assumpsit naturam humanam. Hoc autem prætereundum non debet, si putasset tantum fuisse speciem, vel apparentiam ignis et columbæ. Ergo, juxta ipsam, lingue disperse fuerunt verus ignis.

Prob. 2^a, quia, cum ignis proprius et elementaris sit maxime idoneum symbolum ad representanda dona et effectus Spiritus sancti, non est, inquit Fromondus, cur verum ignem fuisse negemus. Deinde in vero fundamentum et tonitruum igne in monte Sinai lex vetus promulgata est, Exodi 19, v. 16. Hoc autem figura fuit promulgationis novæ legis in monte Sion, ubi erat consensuum illud in quo erant apostoli congregati. Unde etiam, sicut lex vetus die quinquagesimæ ab

egressu de Ægypto data et promulgata fuit; ita lex nova in Pentecoste, sive quinquagesimâ die à resurrectione Domini data et promulgata est.

Non tamen ignis ille capillos apostolorum adussit; quia vel similis erat illi quem philosophi lambentem vocant, qui adhæret crinibus, nec jamen adurit; vel etiam ideò non ussit, quia Deus subtraxit concensum suum, quemadmodum fecit in fornace Babilonica.

Dices: Habetur hic, v. 5: *Apparuerunt illis disperse lingue tanquam ignis.* Atqui *et tanquam*, non significat verum ignem, sed tantum ignem apparentem; ergo, etc.

Resp. Neg. min. Nam, etsi vox *tanquam* sit nota similitudinis, non tamen veritatem excludit: siquidem in Scripturâ aliquando non meram similitudinem, sed rei veritatem significat, ut Joan. 1, v. 14: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre.* Sic igitur etiam hic vox *tanquam* verum ignem significare potest, adeoque propter hanc vocem non est dicendum quod tantum fuerit ignis apprensus.

QUESTIO IV.

Quinam sint dolores inferni, quos Deus solvit suscitans Christum.

Ad Christi resurrectionem, quæ fundamentum est totius christianæ religionis, in sua concione delatavit S. Petrus, eandemque probaturus ait, v. 24: *Quem Deus suscitavit, solvitis dolores mortis.* Aliqualis hic est difficultas propter textum Græcum: nam, etsi interpret noster cum S. Irenæo, lib. 3, cap. 12, et S. P. Aug., epist. 99 ad Evodium, legat: *Inferni*, in Græco tamen habetur: *Solvens dolores mortis.* Verum, ut bene reflectit à Lapide, in idem res redit: Cum enim ante Christum omnes qui moriebantur irent in infernum, vel damnatorum, vel purgatorum, aut limbum Patrum; tum teneri morte, vel inferno idem videbatur; anima enim post mortem ibat in infernum, et corpus ad sepulcrum. U. de utroque in Christo resuscitando subdit S. Petrus, v. 27: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Hæc verba Beza, Calvinum secutus, ita vertit: *Non derelinques cadaver meum in sepulcro.* Sed hæc versio prorsus impia et perversa est, siquidem inaudita metamorphosi animam mutat in corpus, et infernum in sepulcrum, idque contra expressa sacri textus verba: Petrus enim animam hic opponit carni; nam de carne dicit: *Caro mea requiescet in spe.* Et iterum: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* De animâ verò dicit: *Non derelinques animam meam in inferno.* Interim ut resolvatur questio proposita,

Resp. et dico 1^o: Calvinus per dolores inferni intelligit pœnas, anxietatem et desperationem quibus damnati patiuntur in inferno: hæc enim nobis debitas, in se lucendas suscepisse dicit Christus; ideòque in cruce desperasse, dum clamavit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Unde lib. 2 Insit. c. 16, § 10, ait: *Duros in animâ cruciatus damnati ac perditii hominis pertulit.* Sed hæc est blasphemia tam absurda, quam horrenda, et seculis omnibus inaudita. Si

enim Christus in agoniâ desperavit, et damnationem nostram sensit ac passus est, ergo non tantum gravissimè peccavit, sed et pro illo tempore damnatus fuit. Quomodo ergo pro peccatum, inquit Bellarminus, lib. de Animâ Christi, cap. 8, nos à peccato redimere potuit, et pro pœnis peccatis nostris debitis satisfacere?

Nec dicatur istos desperationis motus in Christo non fuisse deliberatos, nec fuisse in voluntate et ratione superiori, sed tantum in parte et appetitu inferiori. Siquidem hoc perperam et insulse dicitur, quia in Christo æque ut in Adam, nullus erat concupiscentiæ aut passionis alicujus motus rationem præveniens, sed omnes actus ratio præveniebat, eliciebat, ac dirigebat, ut essent actus hominis perfecti, puta rationalis et deliberati. Unde et Calvinus ipse loco præcitato, § 12, dicit Christi naturam fuisse perfectam sine passionum inordinatione.

Dico 2^o: Cajetanus existimat per dolores inferni intelligi pœnalitates, quas Christi corpus patiebatur in sepulcro, et anima in inferno; idque probare conatur ex S. Thomâ, 3 p., q. 52, art. 4. Sed cum omnis Christi dolor et pœna in morte fuerit finita, hæc expositio non videtur admittenda. S. Thomas autem loco citato nequaquam Cajetano favet; nam nihil aliud ibidem dicit, quam *sicut Christus, ut nostras pœnas in se susciperet, voluit corpus suum in sepulcro poni, ita etiam voluit animam suam in infernum descendere.* Nulibi tamen dicit id Christo fuisse pœnale.

Dico 3^o: S. Chrysost. et Oecumenius apud à Lapide dicit dolores istos non fuisse Christi, nec fidelium, sed ipsius mortis. *Mors enim, inquit, illum detinens, doluit, sicut cetus, absorpto Ionâ, quasi indoluit, ideòque eum evomit;* q. d.: Deus per Christi resurrectionem ipsam mortem à doloribus quasi parturientis liberavit: mors enim et infernus suo utero tantum Christi onus, et pondus ferre non valentes, quasi dolorem patiebantur cum eum clauderent, quem tenere et capere non poterant. Verum hoc subtilius est, quam solidus et germanus. Ita à Lapide.

Dico 4^o: Hæc verba, *solvitis dolores inferni*, dupliciter possunt exponi cum S. P. Aug., epist. 99. Primo, ut referantur ad Christum, et hoc modo solvit dolores inferni, non quia abstulit quos passus est, sed quia, ut loquitur Aug., loco citato, eos irritos fecit, ne ab eis ipse teneretur, præsertim quia sequitur, *in quibus impossibile erat tenere eum.* Secundo, ut referantur ad alios; et ita solvit dolores inferni ab animabus justis, quæ dolorem patiebantur ob dilationem gloriæ. Unde D. Thomas, 3 p., q. 52, art. 2, respondens ad secundum argumentum, in quo præcitata Actorum verba sibi objecerat, ait: *Duplex est dolor, unus de passione pœne, quem patiuntur homines pro peccato actuali, secundum illud psalm. 17: et Dolores inferni et circumdederunt me. Alius autem dolor est de dilatione sperate gloriæ, secundum illud Prov. 15: et Spes quæ differtur affligit animam; quem eundem dolorem patiebantur sancti Patres in inferno; ad quod significandum Aug., in serm. de Resurr., dicit quod lacrymabili*

obsecratione Christum orabant. Utrosque autem dolores Christus solvit ad inferos descendens; alter tamen et aliter; nam dolores pœnarum solvit, præsertim ab eis: sicut medicus dicitur solvere morbum, à quo præservat per medicinam; dolores autem causatos ex dilatione gloriæ, actualiter solvit gloriæ præbendo.

Dico 5^o: Videtur etiam præcitata verba posse exponi hoc modo: Quomodo Deus suscitavit, transactis sive superatis doloribus inferni ac mortis, juxta illud: *Devicta morte triumphat.* Unde sensus est: Deus suscitavit Christum solvitis doloribus mortis et inferni; hoc est, superatâ per Christi suscitationem morte ac inferno cum omnibus doloribus illam comitantibus, puta tum præcedentibus in agoniâ, passione et cruce; tum quæ illam subsequi solent in inferno; q. d.: Deus per Christum resurgentem dissolvit et destruit mortis et inferni regnum cum omnibus suis doloribus et ærumnis.

Petes quid significet S. Petrus, v. 25, dicens: *David enim dicit in eum: Providebam Dominum in conspectu meo semper.*

Resp. Plurimi interpretes per *in eum*, intelligunt de eo, tanquam juxta S. Petrum psalmista ipse loqueretur de Christo in isto psalmo, et diceret: *Providebam Dominum in conspectu meo semper.* Iterum certum est quod non sit ipse David, qui loquitur in isto psalmo, sed introducti Christum loquentem ab initio usque ad finem; nam sequentia, v. g.: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem, caro mea requiescet in spe, etc.*, nullo modo conveniunt Davidi; atque ita S. Petrus refutat opinionem Judæorum, qui illa verba attribuebant Davidi, ut possit probare resurrectionem Christi; adeoque dicendum est quod *et dicit in eum*, significet: *Dicit pro eo, vel: Dicit ejus nomine.*

Cap. 5, Petrus et Joannes ascendentes in templum oraturi, claudum natum sanant; cujus miraculi occasione Petrus Christum ostendit esse verum Messiam, quem dicit ipsos crucifixisse, v. 17, per ignorantiâ. Sed intellige crassam et supinam, quæ eundem peccatum aliquatenus extenuat: nam si Judæi plene sibi persusum habuissent Christum esse verum Messiam, gravitus peccassent.

CAPUT IV.

Petrus et Joannes à magno concilio examinati super curatione claudi nati, respondent se id fecisse in nomine Jesu à mortuis resuscitati; quare è concilio ejiciuntur. Multi tamen credunt, et suis omnibus venditis vivunt in communi.

QUESTIO PRIMA

An omnes omnino fideles in primitivâ Ecclesiâ vixerint in communi.

Resp. verosimilius negativè. Ita Estius, Fromondus et alii.

Prob. 1^o quia, ut Estius dicit, multi erant per Christum conversi in universâ Galiliæ et Judææ: qui cum Jerosolymis non habitarent, dici non potest quod isti communitati fidelium, quæ erat Jerosolymis, se adjunxerint.

Sed nec verosimile est, prosequitur idem Estius, eos omnes simpliciter sua reliquisse; tum quia è vulgo hominum plurimi erant qui crederentur; tum quia satius apparet ex Evangelio fuisse inter eos qui proprium aliud haberent, quamvis interim Christus et apostoli viverent in communi: nam Maria, Martha et Lazarus Christum frequenter hospitio exceperunt. Item mulieres multae Christum suis facultatibus sustentarunt, ut dicitur Lucae 8, et demoniacus apud Gerase-nos curatus, cum vellet Christum corporaliter sequi, jussus est apud suos remanere.

Nec etiam verosimile est centurionem, regulum, et alios multos, qui cum tota familia in Christum crederentur, omnibus suis divenditis, statim ad communem aliquam vitam se contulisse: praesertim cum illius rei nec in Evangelio, nec alibi ulla probabilitas vestigia appareant. Imò nec illi fideles qui Jerosolymis erant, omnes omnino, nullo excepto, hanc evangelicæ consilii perfectionem amplexi videntur. Erant enim ibi Nicodemus, Gamaliel, Joseph ab Arimathæa, alique principes multi, de quibus Joan. 12, v. 42, qui non videntur hoc fecisse, cum non sequerentur publicè Christum, ne è synagoga eijcerentur.

Prob. 2^a quia moraliter loquendo, in tantâ multitudinem conversi fuerunt mariti sine uxoris, uxores sine maritis; parentes sine filiis, filii sine parentibus, etc. Atqui illi non poterant vivere in communi: ergo. Prob. 3^a quia non tenebantur in communi vivere; nec apostoli ad hoc sollicitabant fideles; ergo non est verosimile quòd omnes ita vixerint.

Prob. ant., quia cap. 5, v. 3, dixit Petrus Ananiam: *Cur tentasti Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto, et fraudare de pretio agri. Nonne manens tibi manebat, et vendidatum in tua erat potestate?* Ergo nec ex præcepto apostolorum, nec ex communi consensu, nec ex voto tenebantur vivere in communi.

Prob. conseq., quia religiosus ejusdem peccati reo, cujus reus fuit Ananias, non posset superior dicere: *Nonne bona tua patrimonialia manent tua, et si venderis illa, pretium illarum manet tuum?* Ergo nec id potuisset S. Petrus dicere Ananiam, si tunc omnes omnino fideles vixissent in communi, et nihil habuissent proprii.

Dices: Hoc cap., v. 52, habetur: *Multitudinis autem credentium erat cor unum, et anima una: nec quisquam eorum, quæ possidebat, aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia.* Et v. 54: *Neque enim quisquam egens erat inter illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant, vendentes afferbant pretia eorum quæ vendebant: et ponebant ante pedes apostolorum.*

Resp. nullo modo esse credibile quòd omnes omnino vendiderint suas domos et suos agros. Undenam enim vixissent post consumptum pretium, quod certò debebat totum consumi, cum illis pecuniis nec reditus emerent, nec negotiarentur, nec tandem irent mendicatum.

Dico igitur cum Estio verba objecta intelligi de illis duntaxat, aut potissimum, qui una aut altera Petri

predicatione, post acceptum Spiritum sanctum crederunt. Quamquam nec affirmare ausim, inquit mox citatus interpres, omnes illos sine exceptione ad tantam perfectionem se contulisse: maxime quòd credibile sit inter eos fuisse, quò, quòd filii familias essent, parentibus nondum creditibus, aut conjugati conjugibus nondum creditibus, aut aliâ ratione non potuerint de bonis et de statu suo disporre. prout ceperent, etiamsi quam maximè ad illam perfectionem aspirarent.

Fortè etiam nec conjuges qui filios habebant, in illam se communitatem dederunt; quia debebant parentes filiis thesaurizare secundum Apostolum. Ananias autem et Saphira non leguntur habuisse filios. Eadem ratione nec illi conjuges, qui continere se nolent ab opere conjugali, videntur in eam congregationem admissi fuisse, etiamsi filios non haberent: poterant enim eis adhuc nasci filii. Totum hoc probabile est, quia cap. 6, legitur ortum fuisse murmur Græcorum adversus Hebræos quòd viduae illorum minus curarentur in quotidiano ministerio, quòd fiebat ex marsupio communi. Nihil autem tale legitur de parentibus erga filios, scilicet quòd questi fuerint non satis sibi suppeditari ad nutriendum filios; praesertim infantes et pueros, pro quorum alimonia matres maxime solent esse sollicitæ. Unde verosimile est non alias mulieres quam viduas et virgines, aut alioqui continentes, in eam societatem fuisse admissas. Ita Estius.

QUESTIO II.

Quinam igitur fuerint illi qui vixerunt in communi.

Resp. cum præcitate Estio: Verosimilius est istos omnia communia habentes fuisse verè religiosos, quomodo nunc de religiosis loquimur; quia in manibus Petri tanquam prælati vovebant vitam communem, et proinde etiam obedientiam, sine qua vita communis non potest subsistere; item continentiam, sine qua vita illa est plena turbaturum, rixarum et querelarum, propter filios nutriendos, eisque providendum. Et sanè quòd origo vite communis, qualis religiosorum est, referenda sit ad familiam Christi et apostolorum, et consequenter quòd status religiosus sit reverè à Christo institutus.

Probatur, quia essentia status religiosi aequatè consistit in tribus substantialibus votis, simul cum traditione seu donatione, qua se vovens donat religioni, et acceptatione prælati ac religionis, cui se donat, ita ut religioni acquiratur plena jurisdictio in se donante; atqui hæc omnia sunt ex institutione et erectione Christi; ergo, etc.

Prob. min., quia apostoli hoc modo se Christo sub votis donarunt, et ipse eorum donationem tanquam primus religiosorum præpositus acceptavi cum plenâ jurisdictione in eos etiam ex propria eorum voluntate noviter acquisitâ; ergo Christus formam et normam status religiosi non tantum docuit, consuluit aut prædicavit, sed etiam erexit institutivè et executionè mandavit.

Prob. ant. In primis Petrus nomine omnium apostolorum dixit ad Christum, Matth. 19: *Eccce nos relinui-*

mus omnia et secuti sumus te; quibus verbis votum contineri docet S. Aug., lib. 17 de Civ. Dei, cap. 4. *Dixerunt enim, inquit, potentes illi: Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te. Hoc votum potentissimum vocerat. S. Hieron. mox citatis Evangelii verbis tria vota distinctè indicari docet, et illo verbo, omnia. non tantum terrena bona, sed maxime uxores intelligit: Quorsum enim, inquit lib. 1 contra Jovinianum, Christus postea de præmio ob uxores relictas sermonem tulisset, nisi in illo, omnia, etiam uxores intellexisset? legitur in illo verbo, omnia, discipulorum habemus paupertatem, et castitatem; in illis verbis: *Et secuti sumus te*, perfectam illorum sub Christo capite acceptante agnoscimus submissionem et obedientiam, in quibus tota essentia status religiosi consistit. Consentiant et alii Patres, quos citatos vide apud nostrum Basilium Pontium, lib. 7 de Matrimonio, cap. 2.*

Ceterum quòd S. Petrus in hoc perfectionis statu successerit Christo, tanquam generalis discipulorum præpositus, eruitur ex hoc cap., ubi, postquam S. Lucas narrasset quòd nemo discipulorum possideret aliquid proprium, sed illis omnia essent communia, subiungit quòd illi qui vendebant agros et domos suas, pretia eorum quæ vendebant ponerent ante pedes apostolorum; et deinde, cap. 5, dum se offert occasio superioritatis, enarrat de Anania et Saphira quòd propter reitentiam pretii parlem, ad severam Petri increpationem subitâ morte mulctati sint. Ananiam autem et Saphiram emisisse votum paupertatis, cujus fœdfragi existerent, monstrabitur cap. 5, quæst. 1. Itaque ex illo facto, apostolos et apostolorum discipulos religiosos fuisse, et Petrum tanquam supremum, cum auctoritate puniendi, fuisse præpositum plures Patres docent; et præsertim S. P. Aug., serm. 27 de Verbis Apostoli, quos citatos vide apud Salmeronem, tomo 12 in novum Testamentum, tract. 21.

Nonnulli, ut his respondeant, admittunt tunc quidem emissâ fuisse tria vota, scilicet castitatis, paupertatis, et obedientie, simplicia tamen; atque ideò illis non verè constitutum fuisse religionis statum. Sed licet verum sit vota tunc non habuisse eam solemnitatem quam nunc ex præscripto Ecclesie habent, tamen non habuisse illam solemnitatem essentialem quæ sufficit ad statum religiosum, qui nempe præter emissâ vota nihil aliud requirit quam donationem voventis, et legitimum acceptationem prælati, nunquam ostendunt.

Obj. 1^a auctoritatem S. Bernardi, in Apologia ad Guillelmum, ubi expressè videtur docere ordinem, qui primus fuit in Ecclesia, esse institutum ab apostolis. Parum enim ante finem sic lamentatur: *Heu me miserrimum qualemcumque monachum, cur adhuc vivo videre ad hoc devenisse ordinem nostrum, ordinem scilicet qui primus fuit in Ecclesia, imò à quo caput Ecclesie, cujus apostoli institutores fuerunt, cuius hi quos Paulus tam sæpè sanctos appellat, inchoatores fuerunt.* Ex quibus videtur sequi primò apostolos fuisse religiosos status institutores, et non Christum. Secundo, illos non

fuisse religiosos, quia dicit eos quos Paulus sanctos appellat, fuisse inchoatores.

Resp. apostolos, eorumque discipulos dici à S. Bernardo vitam religiosam inchoasse, et instituisse, non quasi eam non instituerit Christus, sed quia primi fuerunt qui exemplo suo, ope et professione alios ad hoc incitarunt, et una cum fide religiosum statum per mundum propagarunt.

Obj. 2^a: S. Chrysost., hom. 23 in Epist. ad Heb., dicit illa verba Pauli, 1 Cor. 5: *Si is qui frater nominatur, ad omnes tunc fideles pertinuisse, nec tunc fuisse vestigium monachi; sed omnia tunc D. Paulum ad seculares fuisse locutum.*

Resp. verum quidem esse non fuisse tunc monachos aliquos, qui arctissimis illis discipline legibus astringerentur, quibus postea asserit adhiberi tempore S. Chrysostomi, segregati presbiteri ab hominibus secularibus. Sed hoc non obstante, tempore Christi et apostolorum erant veri religiosi, quoad vota substantialia; in quantum nimirum nihil proprii habebant, et Christo, ac postea S. Petro præstantiam plenam obedientiam, ac in castitate vivebant. Præterea S. Chrysost. videtur tantum loqui de Ecclesia Corinthiorum, ad quam illis verbis scribit apostolus Paulus, in quâ facile fieri potuit ut nulli fuerint, qui studium perfectionis ex voto quod religiosus proprium est, profiterentur.

Porrò S. Chrysost. docuisse quòd apostoli fuerint veri religiosi, patet ex illis quæ scribit hom. 17 ad populum de monachicæ, id est, de monachicâ vitâ loquens: *Tanti est, inquit, philosophia à Christo introducta. Certè si Christus introduxit monasticam vitam, jam erat tempore apostoli Pauli.* Vide plura apud Bellarminum, lib. 2 de Monachis.

CAPUT V.

Ananias, et Saphira uxor ejus, agri pretium defraudantes, divinitus morte repentinâ puniuntur. Apostoli multis, et magnis miraculis coruscant: carceri includuntur, et ab Angelo Domini liberantur. Sistuntur concilio Judæorum, à quibus increpantur propter predicationem fidei Christi: refutant increpationem, et versantur in periculo mortis, sed prudentiâ Gamalielis evadunt, et pergitur quotidie intra urbem Jerusalem annuntiare Jesum Christum.

QUESTIO PRIMA.

An Ananias et Saphira peccaverint mortaliter.

Resp. verosimilius affirmativè.

Prob. 1^a quia, v. 5, dicit Petrus Ananiam quòd sit mentitus Spiritui sancto. Et v. 4: *Non es mentitus hominibus, sed Deo;* quia nempe non hominibus, sed Deo paupertatem vovisti. Unde S. P. Aug., serm. 10 de Diversis dicit: *Si Deo displicuit detrahere de pecuniâ quam voverat Deo, quomodo transcurrit Deus, quando vocat castitas, et non exhibetur? Idem docet S. Fulgentius in Epist. 1, cap. 8, et S. Chrysost. in hoc cap. ait: Pecuniis suas accepit, quas Deo consecraverat.* Item S. Hieron., epist. 8, dicit: *Ananias et Saphira dispensatores timentis, imò corde duplicit, et ideò condem-*